

† PL. R. P. Iosephus Ambrosius Chapoton.

(Vice-prov. Portland.).

Eduardus Chapoton cum uxore Anna Kerwin decem liberos habuerunt, e quibus tres in prima pueritia mortui sunt. Quartus Iosephus, qui iam ante ortum suum Sancto Nutritio oblatus est, eiusque frater Alexander

Congregationi SS. Redemptoris nomina sua dederunt. Matris piissimae sincera fide sine dubio huius vocationis iter eis patetfactum est. Ipsa enim a prima infantia, cum patrem de sacris missionibus, quas in patria Hibernia viderat, narrantem et S. Alphonsi, quem prae ceteris caelitibus colebat, *Glorias Marianas* cotidie legentem audiret, Congregationem nostram amare cooperat, cum nondum quemquam e sodalibus nostris cognovisset.



Cum Iosephus, qui Detroiti natus est die 3 octobris a. 1875, scholae frequentandae aetatem adeptus esset, mater, quod schola collegii nostri SS. Redemptoris nimis longe distaret iterque inter duos lacus satis profundos et per viae ferratae duodecim orbitas periculum plenum esset, puerum primis saltem annis, ne quid mali in cotidianis eundi periculis ei accideret, in scholam publicam propriorem mittere cogitavit. Sed antequam consilium exsequeretur, P. Smulders C. SS. R. rogandi causa adiit, num recte ita faceret. Qui manu puero imposita «Mater», inquit, «in scholam nostram puerum mitte! Dei vice tibi promitto fore, ut nihil mali ei accidat». Obtemperavit mater, et sacerdotis promissum probavit eventus.

Cum quattuordecim annos natus scholae vale dicturus esset, cum magno matris gaudio amore Congregationis SS. Redemptoris captus rogavit, ut sibi iuvenatum nostrum ingredi liceret. At impensa studiorum patri matrique recogitantibus nimiae videbantur, quam quas ferre possent. Aegre itaque Iosephus in officina, cuius pater magistrum egit, fabri lignariai artem discendam suscepit. Et hoc quidem non sine divinae providentiae ductum factum esse credas, nam postea, cum novis domibus instruendis occuparetur, P. Chapoton arte sua optime uti potuit. Biennio autem illo, quod in officina lignaria egit, cotidie, antequam ad operam suam se conferret, in ecclesia SS. Redemptoris primo mane ad altare servire solitus est. Mater vero, quidquid filius in diem opera sua meruit, seponebat sperans filium ita ad studia tandem pervenire posse. Qua spe decepta non est. Biennio enim in officina transacto consiliisque cum P. Daniele Mullane collatis die

6 ianuarii mensis a. 1891 iuvenatum Kirkwoodensem ingressus est. Literarum curriculo peracto noviciatum petiit et die 23 augusti a. 1895 votis perpetuis se obstrinxit, cumque philosophiae ac theologiae in studentatu Kansanopolitano operam dedisset, die 25 mensis iulii a. 1900 ibidem primus e parochia Detroitensi SS. Redemptoris sacerdotio iniciatus est.

« Ingenii facultatibus ita utendum est, quasi conversio animarum in nostra solorum sit potestate, atque prorsus in Deo omnis est collocanda fiducia, ut persuasum habeamus nihil e propriis viribus nos posse perficere ». Haec constitutionis (n. 45) verba ab initio Patris Chapoton agendi ratio ac consilium esse visa sunt. Quidquid oboedientia iubebatur, fortiter suscepit et ad finem perduxit. Orando et laborando, ingenii dotibus impigre utendo et simul in Deo simpliciter confidendo, quidquid inceperat, optabilem exitum habere vidit. A traditionibus vitae religiosae missionumque nostrarum numquam declinans orationis, observandarum regularum Congregationisque amantissimus fuit. Cum in fundanda operose domo Omahensi cum solo socio fratre laico moraretur, laboribus simul curae animarum atque operis manuum obrutus tamen fideliter pias in sacello exercitationes non omisit, tamquam in domo bene formata essent.

In missionibus ad populum et exercitationibus spiritualibus ad sacerdotes habendis maxima eius servitia fuerunt. Praecipuam vero operam vitae spirituali virorum catholicorum excolendae dedit, ita ut mense decembri a. 1925 sodalicium virorum SS. Nominis in civitate Seattlensi congregatum publice P. Chapoton pro magno labore in tota illa regione ad sodalicium propagandum impenso gratias ageret.

Ter superioris domus munus obivit, Portlandii, Grandormii (*Grand Rapids*) et Omahae, et tam missionum opus quam domestica animarum cura ac scholarum opera eo praeeunte ubique aucta sunt. Omahae domus nostrae, in Seattle ecclesiae S. Annae aedificandae, Grandormii perficiendae ecclesiae operam dedit.

Cum die 26 mensis aprilis ad oceanum pacificum nova vice-provincia Portlandensis instituta esset, P. Chapoton primus superior ei praefectus est et statim indefessa viresque profundenti cura in eam exaedificandam componendamque incubuit. Ac primum quidem ad vice-provinciae prosperum proventum necesse fuit, ut in ora sinus S. Francisci, in qua catholici frequentissimi incolunt, nova statio conderetur. P. Chapoton itaque non conquievit, donec archiepiscopo S. Francisci probante in civitate Oakland loco praeclaro iuvenatus vice-provinciae institutus est. Quidquid vero tunc temporis a cura animarum et vice-provincia administranda supererat, domi et in praedio laborare non destitit, ut tironibus pulchram aptamque sedem praepararet.

Labore immodico ac malo occulto, quod ipso nescio pulmones invaserat, in morbum tandem implicatus est, e quo iam non convalescit, sed

quattuor fere mensibus post die 19 mensis decembris a. 1925, quod fuit sabbatum, animam optimam Deo reddidit, ut in caelum migraret pro vice-provincia, cuius saluti vitam profuderat, precaturus.

Oaklandii ipse archiepiscopus Hanna et contionem funebrem habuit et exsequias celebravit. Corpus vero Detroitum in patriam delatum sacro funebri ab episcopo Gallagher facto et oratione lugubri a P. Provinciali Cantwell dicta comitantibus septuaginta quattuor sacerdotibus tam sodalibus nostris quam exteris et immensa populi multitudine in coemeterio S. Crucis inter fratres Congregationis SS. Redemptoris conditum carnis resurrectionem die novissimo secuturam exspectat. R. i. p.!